



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An statutum reddens personam habilem, vel inhabilem, ad
Constructus, vel Testamenta, extendatur etiam ad bona extra territorium
sita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

dice Ecclesiastico conveniri debet, quamvis non improbable sit, ad multam pecuniariam coram Iudice etiam seculari, à quo Laicus prævenerit, conveniri posse.

SECTIO II.

An, & quomodo Iudex, competens jurisdictionem suam extendere, aut jus dicere possit extra territorium proprium?

Quod Iudex non possit directè jurisdictionem contentiosam exercere, extra territorium proprium, sive in alienos subditos sive in suos, quoad res & bona in alterius territorio sita, certissimi juris est, tantum id in quaestione venire potest, an, & quando statuti vel sententia Iudicis extra proprium territorium se extendat, & effectum aliquem habeat. De qua res sit.

§. I.

An statutum reddens personam habilem, vel inhabilem, ad Contractus, vel Testamenta, extendatur etiam ad bona extra territorium sita?

Statutum particulare, Provinciae aut Civitatis alicujus directè tantum disponat circa formam actus, præscribendo v. g. quanam substantialiter ad valorem contractus v. g. aut Testamenti &c. in tali loco facti requirantur, vel si directè disponat circa personas, sive jurisdictioni subiectas, habitans illas v. g. ad actum faciendum, validus est actus, juxta formam talem in illo loco factus, à

quocumque demum, sive incolà sive peregrino ibi contrahente v. g. aut testante &c. fiat, etiam quoad bona extra territorium talis Provinciae aut Civitatis sita, quamvis enim circa hæc bona nullam directè jurisdictionem statuentes talia exercere possint, possunt tamen indirectè, contractum v. g. aut testamentum in tali loco factum validando, vel irritando.

§. II.

An sententia Iudicis condemnans ad pœnam, vel infligentis pœnam confiscationis bonorum se extendere possit extra territorium Iudicis pœnam statuentis?

Sententia pœnalis seu pœnæ infligentis ordinariè se non extendit extra vel ultra territorium Iudicis sententiam talem ferentis in ordine ad sententiæ talis executionem, (quia Iudex non potest actum jurisdictionis contentiosæ, qualis est executio sententiæ exercere extra proprium territorium c. 2. De constit. in 6.) nisi requiratur alterius territorii Iudex, ut pœnam in ejus territorio exequatur, consenserit, vel pœna imposita, ex præscripto legis in quo loco communis, ita ut uterque Iudex eam observare debeat; quibus in casibus sententiam ab hujus territorii Iudice locam alterius territorii Iudex exequi debet. Quod si verò ex lege communis bona in pœnam confiscentur, & hæc in diversis territoriis existant, ita tamen ut diversa hæc territoria uni subsint Principi v. g. tum bona confiscata, in quocumque territorio existant, ad fiscum Principis illius redigentur; si tamen sub diversis Principibus sint talia territoria, & ex dispositione Legis utriusque territorio communi